

РЕНЕ ДЕКАРТ

MEDITATIONES  
DE PRIMA  
PHILOSOPHIA

Рене Декарт

# Meditationes de prima philosophia

[http://www.litres.ru/pages/biblio\\_book/?art=34843054](http://www.litres.ru/pages/biblio_book/?art=34843054)  
*Meditationes de prima philosophia:*

# Содержание

Vorwort	4
Sapientissimis clarissimisque viris sacrae facultatis theologiae parisiensis decano et doctoribus renatus des-cartes 1	8
Praefatio ad lectorem	14
Synopsis sex sequentium meditationum	18
Meditatio I.	23
Meditatio II.	30
Конец ознакомительного фрагмента.	31

# **René Descartes**

# **Meditationes de**

# **prima philosophia**

## **Vorwort**

Die hier vorliegende, wohlfeile Ausgabe der »Meditationen« ist sowohl für den Seminargebrauch an den Universitäten als auch zum Privatstudium gedacht. Die älteren lateinischen Ausgaben dieses auch heute noch jugendfrischen Werkes sind recht selten geworden, die französischen Übertragungen allein genügen nicht, und so war man denn bisher auf die teuren Ausgaben von Adam-Tannery (Oeuvres de Descartes Band VII. Paris. Leopold Cerf. 1904) und Güttler (2. Auflage München. Beck. 1912) angewiesen.

Der Titel der ersten Ausgabe der »Meditationen« (1641) lautet vollständig: Renati Des-Cartes, Meditationes de prima philosophia in qua Dei existentia et animae immortalitas demonstratur, Parisiis, Apud Michaelem Soli, via Jacobaea sub signo Phoenicis. MDCXLI. Cum Priuilegio et Approbatione Doctorum.

Der Text dieser Erst-Ausgabe ist hier zugrunde gelegt und es sind die Seitenzahlen des Originals am Rande in [ ]

eingeschlossen beigefügt worden, damit in Zukunft durchweg nach dieser (heute sehr seltenen) Ausgabe zitiert werden kann. Der Titel der zweiten Auflage (1642) lautet: Renati Des-Cartes Meditationes de prima philosophia in quibus Dei existentia, et animae humanae a corpore distinctio demonstratur. His adjunctae sunt variae objectiones doctorum virorum in istas de Deo et anima demonstrationes cum responsionibus Authoris. Secunda editio septimis objectionibus antehac non visis aucta. Amstelodami apud Ludovicum Elzevirium 1642.

Da bei der ersten Ausgabe Descartes die Druckbogen nicht selbst las – die Drucklegung besorgte Mersenne – so enthält sie mehrere Fehler, die in der zweiten Auflage verbessert worden sind. Die Varianten der beiden Auflagen sind unten in den Anmerkungen verzeichnet, und es ist von Fall zu Fall entschieden und diejenige Lesart aufgenommen worden, welche nach sprachlichen und sachlichen Gesichtspunkten als die richtigere erschien.

Die erste französische Übersetzung des Werkes erschien im Jahre 1647. Ihr Titel lautet vollständig: Les Méditations Metaphysiques de René Des-Cartes, Touchant La Premiere Philosophie, dans lesquelles l'existence de Dieu, et la distinction réelle entre l'âme et le corps de l'homme, sont démonstrées. Traduites du Latin de l'Auteur par M. le D. D. L. N. S. Et les objections faites contre ces Méditations par diuerses personnes tres-doctes, avec les réponses de l'Auteur. Traduites par Mr. C. L. R. A Paris. Chez la Veuve Jean Camusat. MDCXLVII. Avec

privilège du roy.

Der Übersetzer war der Freund Descartes', der Herzog von Luynes, während die Einwände und Erwiderungen von Clerselier übertragen wurden. Descartes sah die Übersetzungen durch und war so sehr damit zufrieden, daß er erklärte, manche Stellen im französischen Text seien besser als sein eigener, entsprechender lateinischer Text. Wahrscheinlich stammen verschiedene Zusätze und Verbesserungen im einzelnen von Descartes selbst, der, wie das ja leicht zu verstehen ist, diese in das ihm vorgelegte Manuskript direkt wird eingetragen haben. Ich habe die Luynessche Übersetzung genau mit dem lateinischen Texte verglichen und alle wichtigen Abweichungen in den Anmerkungen verzeichnet, bei denen ich mich im übrigen größter Kürze befleißigt habe, da es nach meinem ausführlichen Kommentar zu den Meditationen (Erläuterungen zu den Meditationen auf Grund der »Objectiones et Responsiones« und des Briefwechsels) der genaueren Erläuterung nicht bedarf, ich auch der Seminararbeit nicht vorgreifen möchte. Dieser Kommentar soll übrigens demnächst in neuer Auflage erscheinen, wobei ihm diesmal die vollständige Übersetzung der »Einwände und Erwiderungen« vorangehen wird. Hiermit komme ich einem vielfach geäußerten Wunsche entgegen, und es dürfte die Tatsache, daß heute eine solche vollständige deutsche Ausgabe gebracht werden kann, wohl als ein erfreuliches Zeichen der Zeit gelten, das erkennen läßt, wie sehr im letzten Jahrzehnt das Descartes-Studium zugenommen hat. Die weitere Vertiefung

dieselben zu erleichtern, ist Zweck und Aufgabe der hier vorliegenden Ausgabe.

Berlin, im Juli 1913.

*Dr. Artur Buchenau.*

**Sapientissimis clarissimisque  
viris sacrae facultatis  
theologiae parisiensis decano et  
doctoribus renatus des-cartes<sup>1</sup>**

**S. D.<sup>2</sup>**

Tam justa causa me impellit ad hoc scriptum vobis offerendum, et tam justam etiam vos habituros esse confido ad ejus defensionem suscipiendam, postquam instituti mei rationem intelligetis, ut nulla re melius illud hic possim commendare, I quam si quid in eo sequutus sim paucis dicam.

Semper existimavi duas quaestiones, de Deo et de Anima, praecipuas esse ex iis quae Philosophiae potius quam Theologiae ope sunt demonstrandae: Nam quamvis nobis fidelibus animam humanam cum corpore non interire, Deumque existere, fide credere sufficiat; certe infidelibus nulla religio, nec fere etiam

---

<sup>1</sup> Descartes schreibt seinen Namen Des-Cartes (so z. B. in den in der Pariser Bibliothèque Nationale befindlichen Original-Briefen).

<sup>2</sup> Die am Rande angegebenen Zahlen sind die Seitenzahlen der ersten Ausgabe der Meditationen; bei dem »Widmungsschreiben« und dem »Vorwort« fehlen in den beiden ersten Ausgaben die Seitenzahlen. Beide Stücke sind hier auch ohne jeden Absatz abgedruckt.

ulla moralis virtus, videtur posse persuaderi, nisi prius illis ista duo ratione naturali probentur: Cumque saepe in hac vita majora vitiis quam virtutibus praemia proponantur, pauci rectum utili praferrent, si nec Deum timerent, nec aliam vitam expectarent. Et quamvis omnino verum sit, Dei existentiam credendam esse, quoniam in sacris scripturis docetur, et vice versa credendas sacras scripturas, quoniam habentur a Deo: quia nempe, cum fides sit donum Dei, ille idem qui dat gratiam ad reliqua credenda, potest etiam dare, ut ipsum existere credamus; non tamen hoc infidelibus proponi potest, quia circulum esse judicarent. Et quidem animadverti, non modo vos omnes, aliosque Theologos affirmare Dei existentiam naturali ratione posse probari; sed et ex sacra Scriptura inferri, ejus cognitionem multis, quae de rebus creatis habentur, esse faciliorem, atque omnino esse tam facilem, ut qui illam non habent, sint culpandi. Patet enim Sap. 13. ex his verbis, *Nec his debet ignosci, si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum, quomodo hujus dominum non facilius invenerunt?* Et ad Rom. cap. 1. dicitur illos esse *inexcusabiles*. Atque ibidem etiam per haec l verba: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis*, videmur admoneri ea omnia quae de Deo sciri possunt, rationibus non aliunde petitis quam ab ipsam nostra mente posse ostendi. Quod idcirco quomodo fiat, et qua via Deus facilius et certius, quam res saeculi cognoscatur, non putavi a me esse alienum inquirere. Atque quantum ad animam, etsi multi ejus naturam non facile investigari posse judicarint, et nonnulli

etiam dicere ausi sint rationes humanas persuadere illam simul cum corpore interire, solaque fide contrarium teneri: Quia tamen hos condemnat Concilium Lateranense sub Leone 10 habitum sessione 8, et expresse mandat Christianis Philosophis ut eorum argumenta dissolvant, et veritatem pro viribus probent, hoc etiam aggredi non dulbitavi.

Praeterea quoniam scio plerosque impios non aliam ob causam nolle credere Deum esse, mentemque humanam a corpore distingui, quam quia dicunt haec duo a nemine hactenus potuisse demonstrari: Etsi nullo modo iis assentiar, sed contra rationes fere omnes, quae pro his quaestionibus a magnis viris allatae sunt, cum satis intelliguntur, vim demonstrationis habere putem, vixque illas dari posse mihi persuadeam, quae non prius ab aliquibus aliis fuerint inventae: Nihil tamen utilius in Philosophia praestari<sup>3</sup> posse existimo, quam si semel omnium optimae studiose quaerantur, tamque accurate et perspicue exponantur, ut apud omnes constet in posterum eas esse demonstrationes. Ac denique quoniam nonnulli, quibus notum est me quandam excoluisse Methodum I ad quaslibet difficultates in scientiis resolvendas, non quidem novam, quia nihil est veritate antiquius, sed qua me saepe in aliis non infeliciter uti viderunt, hoc a me summopere flagitarunt: Ideoque officii mei esse putavi nonnihil hac in re conari. Quicquid autem praestare potui, totum in hoc Tractatu continetur. Non quod in eo diversas omnes rationes, quae ad eadem probanda afferri possent, colligere

---

<sup>3</sup> Die zweite Ausgabe (auch Adam-Tannery) hat: praestare.

conatus sim: Neque enim hoc videtur operaे pretium esse, nisi  
ubi nulla habetur satis certa, sed primas tantum et praecipuas  
ita prosecutus sum, ut jam pro certissimis, et evidentissimis  
demonstrationibus illas ausim proponere. Addamque etiam tales  
esse, ut non putem ullam viam humano ingenio patere, per  
quam meliores inveniri unquam possint, cogit enim me caulsae  
necessitas, et gloria Dei, ad quam totum hoc refertur, ut hic  
aliquanto liberius de meis loquar quam mea fert consuetudo.  
Atqui quantumvis certas et evidentes illas putem, non tamen  
ideo mihi persuadeo ad omnium captum esse accommodatas:  
Sed quemadmodum in Geometria multae sunt ab Archimede,  
Apollonio, Pappo, aliisve scriptae, quae etsi pro evidentibus  
etiam, ac certis ab omnibus habeantur, quia nempe nihil plane  
continent quod seorsim spectatum non sit cognitu facillimum,  
nihilque in quo sequentia cum antecedentibus non accurate  
cohaereant, quia tamen longiusculae sunt, et valde attentum  
lectorem desiderant, non nisi ab admodum paucis intelliguntur:  
Ita quamvis eas quibus hic utor certitudine et evidētia  
Geometricas aequare, vel etiam superare existimem, vereor  
tamen ne a multis satis percipi non possint, tum quia etiam  
longiusculae sunt, et aliae ab aliis pendent: tum praecipue quia  
requirunt mentem a praejudiciis plane liberam: et quae se ipsam  
a sensuum consortio facile subducat. Nec certe plures in mundo  
Metaphysicis studiis, quam Geometricis apti reperiuntur. Ac  
praeterea in eo differentia est, quod in Geometria cum omnibus  
sit persuasum nihil scribi solere, de quo certa demonstratio non

habeatur, saepius in eo peccant imperiti, quod falsa approbent, dum ea videri volunt intelligere, quam quod vera refutent: Contra vero in Philosophia cum credatur nihil esse de quo non possit in utramque partem disputari, pauci veritatem investigant, et multo plures ex eo quod ausint optima quaeque impugnare, famam ingenii aucupantur.

Atque ideo qualescunque meae rationes esse possint, quia tamen ad Philosophiam spectant, non spero me illarum ope magnum operae pretium esse facturum, nisi me patrocinio vestro adjuvetis. Sed cum tanta inhaereat omnium mentibus de vestra Facultate opinio, tantaeque sit autoritatis SORBONAE nomen, ut non modo in rebus fidei nulli unquam Societati post sacra Concilia tantum creditum sit quam vestrae, sed etiam in humana Philosophia nullibi major perspicacia et soliditas, nec ad ferenda judicia major integritas et sapientia esse existimetur: Non dubito quin si tantum hujus scripti curam suscipere dignemini, *primo* quidem ut a vobis corrigatur, memor enim, non modo humanitatis, sed maxime etiam inscitiae *meae*, non affirmo nullos in eo esse errores: *deinde* ut quae vel desunt, vel non satis absoluta sunt, vel majorem explicationem desiderant, addantur, perficiantur, illustrentur, aut a vobis ipsis, aut saltem a me, postquam a vobis ero admonitus: Ac *denique* ut postquam rationes in eo contentae, quibus Deum esse, mentemque a corpore aliam esse probatur, ad eam perspicuitatem erunt perductae, ad quam ipsas perduci posse confido, ita nempe ut pro accuratissimis demonstrationibus habendae sint, hoc ipsum

declarare et publice testari velitis: non dubito, inquam, quin, si hoc fiat, omnes errores, qui de his quaestionibus unquam fuerunt, brevi ex hominum mentibus deleantur. Veritas enim ipsa facile efficiet ut reliqui ingeniosi, et docti vestro judicio subscribant: Et autholritas, ut Athei, qui scioli magis quam ingeniosi, aut docti esse solent, contradicendi animum deponant; atque etiam ut forte rationes, quas ab omnibus ingenio praeditis pro demonstrationibus haberi scient, ipsi propugnant, ne non intelligere videantur. Ac denique caeteri omnes tot testimoniis facile credent, nemoque amplius erit in mundo, qui vel Dei existentiam, vel realem humanae animae a corpore distinctionem ausit in dubium revocare. Cujus rei quanta esset utilitas, vos ipsi pro vestra singulari sapientia omnium optime aestimare potestis: nec deceret me vobis, qui maximum Ecclesiae Catholicae<sup>4</sup> columen semper fuistis, Dei et Religionis causam pluribus hic commendare.

---

<sup>4</sup> Die letzten beiden Worte fehlen in der französischen Übersetzung.

# Praefatio ad lectorem

Quaestiones de Deo et mente humana jam ante paucis attigi in *Dissertatione de Methodo recte regendae rationis et veritatis in scientiis investigandae* gallice edita anno 1637. Non quidem ut ipsas ibi accurate tractarem, sed tantum ut delibarem, et ex lectorum judiciis addiscerem qua ratione postea essent tractandae. Tanti enim momenti mihi visae sunt, ut plus una vice de ipsis agendum esse judicarem; viamque sequor ad eas explicandas tam parum tritam, atque ab usu communi tam remotam, ut non utile putarim ipsam in gallico, et passim ab omnibus legendo scripto fusius docere, ne debiliora etiam ingenia credere possent eam sibi esse ingrediendam.

Cum autem ibi rogassem omnes quibus aliquid in meis scriptis reprehensione dignum occurreret, ut ejus me monere dignarentur, nulla in ea quae de his quaestionibus attigeram notatu digna objecta sunt, praeter duo, ad quae hic paucis, priusquam earundem accuratiorem explicationem aggrediar, respondebo. Primum est, ex eo quod mens humana in se conversa non percipiat aliud se esse quam rem cogitantem, non sequi, ejus naturam sive *essentiam* in eo tantum consistere, quod sit res cogitans, ita ut vox *tantum* caetera omnia excludat, quae forte etiam dici possent, ad animae naturam pertinere. Cui objectioni respondeo me etiam ibi noluisse illa excludere in ordine ad ipsam rei veritatem (de qua scilicet tunc non agebam), sed dumtaxat

in ordine ad meam perceptionem, adeo ut sensus esset, me nihil plane cognoscere quod ad essentiam meam scirem pertinere, praeterquam quod essem res cogitans sive res habens in se facultatem cogitandi. In sequentibus autem ostendam quo pacto ex eo, quod nihil aliud ad essentiam meam pertinere cognoscam, sequatur, nihil etiam aliud revera ad illam pertinere.

Alterum est, ex eo, quod ideam rei me perfectioris in me habeam non sequi ipsam ideam esse me perfectiorem, et multo minus illud quod per istam ideam repraesentatur existere. Sed respondeo hic subesse aequivocationem in voce ideae; sumi enim potest vel materialiter, pro operatione intellectus, quo sensu me perfectior dici nequit, vel objective, pro re per istam operationem repraesentata, quae res etsi non supponatur extra intellectum existere, potest tamen me esse perfectior ratione suae essentiae. Quomodo vero ex hoc solo quod rei me perfectioris idea in me sit sequatur illam rem revera existere, fuse in sequentibus exponetur.

Vidi quidem praeterea duo quaedam scripta satis longa, sed quibus non tam meae his de rebus rationes quam conclusiones argumentis ex Atheorum locis communibus mutuatis impugnabantur. Et quoniam istiusmodi argumenta nullam vim halbere possunt apud eos, qui rationes meas intelligent, adeoque praepostera et imbecilla sunt multorum judicia, ut magis a primum acceptis opinionibus quantumvis falsis, et a ratione alienis, persuadeantur, quam a vera et firma, sed posterius audita ipsarum refutatione, nolo hic ad illa

respondere, ne mihi sint prius referenda. Tantumque generaliter dicam ea omnia, quae vulgo jactantur ab Atheis ad existentiam Dei impugnandam, semper ex eo pendere quod vel humani affectus Deo affingantur, vel mentibus nostris tanta vis et sapientia arrogetur, ut quidnam Deus facere possit ac debeat, determinare et comprehendere conemur; adeo ut, modo tantum memores simus mentes nostras considerandas esse ut finitas, Deum autem ut incomprehensibilem et infinitum, nullam ista difficultatem sint nobis paritura.

Jam vero, postquam hominum judicia semel utcunque sum expertus, iterum hic aggredior easdem de Deo et mente humana quaestiones, simulque totius primae Philosophiae initia tractare; sed ita ut nullum vulgi plausum, nullamque Lectorum frequentiam expectem: quin etiam nullis author sum ut haec legant, nisi tantum iis qui serio mecum meditari, mentemque a sensibus, simulque ab omnibus praejudiciis, abducere poterunt ac volent, quales non nisi admodum paucos reperiri satis scio. Quantum autem ad illos, qui, rationum mearum seriem et nexum comprehendere non curantes, in singulas tantum clausulas, ut multis in more est, argutari studebunt, non magnum ex hujus scripti lectione fructum sunt percepturi: et quamvis forte in multis cavillandi occasionem inveniant, non facile tamen aliquid quod urgeat aut responsione dignum sit objicient.

Quia vero nequidem etiam aliis spondeo me in omnibus prima fronte satisfacturum, nec tantum mihi arrogo ut confidam me omnia posse praevidere quae alicui difficilia videbuntur, primo

quidem in Meditationibus illas ipsas cogitationes exponam, quarum ope ad certam et evidentem cognitionem veritatis mihi videor pervenisse, ut experiar an forte iisdem rationibus, quibus ego persuasus sum, alios etiam possim persuadere. Postea vero respondebo ad objectiones virorum aliquot ingenio et doctrina excellentium, ad quos hae Meditationes, antequam typis mandarentur examinandae missae sunt. Satis enim multa et varia ab illis fuerunt objecta, ut ausim sperare non facile quicquam aliis, saltem alicujus momenti, venturum in mentem, quod ii nondum attigerint. Ideoque rogo etiam atque etiam lectores, ut non prius de Meditationibus judicium ferant, quam objectiones istas, earumque solutiones omnes perlegere dignati sint<sup>5</sup>.

---

<sup>5</sup> In der ersten Auflage folgt hier ein »Index«, den wohl Mersenne verfaßt hat. Descartes hat ihn in die zweite Auflage nicht mit aufgenommen.

# Synopsis sex sequentium meditationum

In prima causae exponuntur propter quas de rebus omnibus, praesertim materialibus, possumus dubitare; quamdiu scilicet non habemus alia scientiarum fundamenta, quam ea quae antehac habuimus. Etsi autem istius tantae dubitationis utilitas prima fronte non appareat, est tamen in eo maxima quod ab omnibus praejudiciis nos liberet, viamque facillimam sternat ad mentem a sensibus abducendam: ac denique efficiat, ut de iis, quae postea vera esse comperiemus, non amplius dubitare possimus.

| In secunda, mens quae propria libertate utens supponit ea omnia non existere, de quorum existentia vel minimum potest dubitare<sup>6</sup>, animadvertis fieri non posse quin ipsa interim existat. Quod etiam summae est utilitatis, quoniam hoc pacto facile distinguit quaenam ad se, hoc est, ad naturam intellectualem, et quaenam ad corpus pertineant. Sed quia forte nonnulli rationes de animae immortalitate illo in loco expectabunt, eos hic monendos puto me conatum esse nihil scribere quod non accurate demonstrarem; ideoque non aliud ordinem sequi potuisse, quam illum qui est apud Geometras usitatus, ut nempe omnia praemitterem ex quibus quaesita propositio dependet,

---

<sup>6</sup> Die erste Auflage hat: dubitare potest.

antequam de ipsa quidquam concluderem. Primum autem et praecipuum, quod praerequiritur ad cognoscendam animae immortalitatem, esse ut quam maxime perspicuum de ea conceptum, et ab omni conceptu corporis plane distinctum formemus; quod ibi factum est. Praeterea vero requiri etiam ut sciamus ea omnia, quae clare et distincte intelligimus, eo ipso modo, quo illa intelligimus, esse vera: quod ante quartam Meditationem probari non potuit; et habendum esse distinctum naturae corporeae conceptum, qui partim in ipsa secunda, partim etiam in quinta et sexta formatur; atque ex his debere concludi ea omnia, quae clare et distincte concipiuntur, ut substantiae diversae, sicuti concipiuntur mens et corpus, esse revera substantias realiter a se mutuo distinctas; hocque in sexta concludi. Idemque etiam in ipsa confirmari, ex eo quod nullum corpus nisi divisibile intelligamus, contra autem nullam mentem nisi indivisibilem: neque enim possumus ullius mentis medium partem concipere, ut possumus cuiuslibet quantumvis<sup>7</sup> exigui corporis; adeo ut eorum naturae non modo diversae, sed etiam quodammodo contrariae agnoscantur. Non autem ulterius ea de re in hoc scripto me egisse; tum quia haec sufficiunt ad ostendendum ex corporis corruptione mentis interitum non sequi, atque sic ad alterius vitae spem mortalibus faciendam; tum etiam quia praemissae, ex quibus ipsa mentis immortalitas concludi potest, ex toltius Physicae explicatione dependent: primo ut sciatur omnes omnino substantias, sive res quae a Deo

---

<sup>7</sup> Die zweite Auflage (auch A.-T.) hat: quantamvis.

creari debent ut existant, ex natura sua esse incorruptibles, nec posse unquam desinere esse, nisi ab eodem Deo concursum suum iis denegante ad nihilum reducantur, ac deinde ut advertatur corpus quidem, in genere sumptum, esse substantiam, ideoque nunquam etiam perire; sed corpus humanum, quatenus a reliquis differt corporibus, non nisi ex certa membrorum configuratione, aliisque ejusmodi accidentibus esse conflatum, mentem vero humanam non ita ex ulla accidentibus constare, sed puram esse substantiam: etsi enim omnia ejus accidentia mutentur, ut quod alias res intelligat, alias velit, alias sentiat, etc. non idcirco ipsa mens alia evadit: humanum autem corpus aliud fit ex hoc solo quod figura quarundam ejus partium mutetur: ex quibus sequitur corpus quidem perfacile interire, mentem autem<sup>8</sup> ex natura sua esse immortalem.

In tertia Meditatione meum praecipuum argumentum ad probandam Dei l'existentialiam satis fuse, ut mihi videtur, explicui. Verumtamen, quia, ut Lectorum animos quam maxime a sensibus abducerem, nullis ibi comparationibus a rebus corporeis petitis volui uti, multae fortasse obscuritates remanserunt, sed quae, ut spero, postea in responsionibus ad objectiones plane tollentur; ut inter caeteras quomodo idea entis summe perfecti, quae in nobis est, tantum habeat realitatis objectivae, ut non possit non esse a causa summe perfecta, quod ibi illustratur comparatione machinae valde perfectae, cuius idea est in mente

---

<sup>8</sup> Die franz. Übersetzung hat hier den, wohl von D. selbst stammenden Zusatz: »ou l'âme de l'homme (ce que je ne distingue point)«.

alicujus artificis; ut enim artificium objectivum hujus ideae debet habere aliquam causam, nempe scientiam hujus artificis, vel alicujus alterius a quo illam accepit, ita idea Dei, quae in nobis est, non potest non habere Deum ipsum pro causa.

In quarta probatur ea omnia, quae clare et distincte percipimus, esse vera: simulque in quo ratio falsitatis consistat explicatur: quae necessario sciri debent tam ad praecedentia firmando, quam ad reliqua intelligenda. (Sed ibi interim est advertendum nullo modo agi de peccato, vel errore qui committitur in persecutione boni et mali, sed de eo tantum qui contingit in dijudicatione veri et falsi. Nec ea spectari, quae ad fidem pertinent, vel ad vitam agendam, sed tantum speculativas; et solius luminis naturalis ope cognitas veritates.)

In quinta praeterquam quod natura corporea in genere sumpta explicatur, nova etiam ratione Dei existentia demonstratur: sed in qua rursus nonnullae forte occurrent difficultates, quae postea in responsione ad objectiones resolvantur: ac denique ostenditur quo pacto verum sit ipsarum Geometricarum demonstrationum certitudinem a cognitione Dei pendere.

In sexta denique intellectio ab imaginatione secernitur; distinctionum signa describuntur: mentem realiter a corpore distingui, probatur: eandem nihilominus tam arcte illi esse conjunctam, ut unum quid cum ipso componat, ostenditur; omnes errores qui a sensibus oriri solent, recensentur, modi quibus vitari possint exponuntur; et denique rationes l omnes ex quibus rerum materialium existentia possit concludi, afferuntur:

non quod eas valde utiles esse putarim ad probandum id ipsum quod probant, nempe revera esse aliquem mundum, et homines habere corpora, et similia, de quibus nemo unquam sanae mentis serio dubitavit; sed quia illas considerando agnoscitur non esse tam firmas, nec tam perspicuas, quam sunt eae, per quas in mentis nostrae et Dei cognitionem devenimus; adeo ut hae sint omnium certissimae et evidentissimae, quae ab humano ingenio sciri possint. Cujus unius rei probationem in his Meditationibus mihi pro scopo proposui. Nec idcirco hic recenseo varias illas quaestiones de quibus etiam in ipsis ex occasione tractatur.

## Meditatio I.

# De iis quae in dubium revocari possunt

Animadvertisi jam ante aliquot annos quam multa ineunte aetate falsa pro veris admiserim, et quam dubia sint quaecunque istis postea superextruxi, ac proinde funditus omnia semel in vita esse evertenda, atque a primis fundamentis denuo inchoandum, si quid aliquando firmum et mansurum cupiam in scientiis stabilire; sed ingens opus esse videbatur, eamque aetatem expectabam, quae foret tam matura, ut capessendis disciplinis aptior nulla sequeretur. Quare tamdiu cunctatus sum ut deinceps essem in culpa, si quod temporis superest ad agendum, deliberando consumerem. Opportune igitur hodie mentem curis omnibus exsolvi, securum mihi otium procuravi, solus secedo, serio tandem et libere generali huic mearum opinionum eversioni vacabo.

Ad hoc autem non erit necesse, ut omnes esse falsas ostendam, quod nunquam fortassis assequi possem; sed quia jam ratio persuadet, non minus accurate ab iis quae non plane certa sunt atque indubitata, quam ab aperte falsis assensionem esse cohibendam, satis erit ad omnes rejiciendas, si aliquam rationem dubitandi in unaquaque reperero. Nec ideo etiam singulae erunt percurrentiae, quod l' operis esset infiniti: sed quia suffossis fundamentis quidquid iis superaedificatum est sponte collabitur,

aggregiar statim ipsa principia quibus illud omne quod olim credidi nitebatur.

Nempe quidquid hactenus ut maxime verum admisi, vel a sensibus, vel per sensus accepi, hos autem<sup>9</sup> interdum fallere deprehendi; ac prudentiae est nunquam illis plane confidere qui nos vel semel deceperunt.

Sed forte quamvis interdum sensus circa minuta quaedam et remotiora nos fallant, pleraque tamen alia sunt de quibus dubitari plane non potest, quamvis ab iisdem hauriantur; ut jam me hic esse, foco assidere, hiemali toga esse indutum, chartam istam manibus contrectare, et similia: manus vero has ipsas, totumque hoc corpus meum esse, qua ratione posset negari? nisi me forte comparem nescio quibus insanis, quorum cerebella tam contumax vapor ex atra bile labefactat, ut constanter asseverent vel se esse reges, cum sunt pauperrimi, vel purpura indutos, cum sunt nudi, vel caput habere fictile, vel se totos esse cucurbitas, vel ex vitro conflatos; sed amenentes sunt isti, nec minus ipse demens viderer, si quod ab iis exemplum ad me transferrem.

Praeclare sane, tanquam non sim homo qui soleam noctu dormire, et eadem omnia in somnis pati, vel etiam interdum minus verisimilia, quam quae isti vigilantes: quam frequenter vero usitata ista, me hic esse, toga vestiri, foco assidere, quies nocturna persuadet, cum tamen positis vestibus jaceo inter strata! Atqui nunc certe vigilantibus oculis intueor hanc chartam, non sopitum est hoc caput quod commoveo, manum

---

<sup>9</sup> In der 1. Aufl. fehlen die Worte: hos autem.

istam prudens et sciens extendo et sentio, non tam distincta contingerent dormienti. Quasi scilicet non recorder a similibus etiam cogitationibus me alias in somnis fuisse delusum: quae dum cogito attentius, tam plane video numquam certis indicis vigiliam a somno posse distingui, ut obstupescam, et fere hic ipse stupor mihi opinionem somni confirmet.

Age ergo somniemus, nec particularia ista vera sint, nos oculos aperire, caput movere, manus extendere, nec forte etiam nos habere tales manus, nec tale totum corpus; tamen profecto fatendum est visa per quietem esse veluti quasdam pictas imagines, quae non nisi ad similitudinem rerum verarum fingi potuerunt; ideoque saltem generalia haec, oculos, caput, manus, totumque corpus res quasdam non imaginarias, sed veras existere: nam sane pictores ipsi, ne tum quidem, cum Sirenas et Satyriscos maxime inusitatis formis fingere student, naturas omni ex parte novas iis possunt assignare, sed tantummodo diversorum animalium membra permiscent; vel si forte aliquid excogitent adeo novum, ut nihil omnino ei simile fuerit visum, atque ita plane fictitium sit et falsum; certe tamen ad minimum veri colores esse debent ex quibus illud componant. Nec dispar ratione, quamvis etiam generalia haec, oculi, caput, manus, et similia, imaginaria esse possent, necessario tamen saltem alia quaedam adhuc magis simplicia, et universalia vera esse fatendum est, ex quibus tanquam coloribus veris omnes istae seu verae seu falsae, quae in cogitatione nostra sunt, rerum imagines effinguntur.

Cujus generis esse videntur natura corporalia in communi, ejusque extensio; item figura rerum extensarum, item quantitas, sive earumdem magnitudo et numerus: item locus in quo existant, tempusque per quod durent, et similia.

Quapropter ex his forsan non male concludemus Physicam, Astronomiam, Medicinam, disciplinasque alias omnes, quae a rerum compositarum consideratione dependent, dubias quidem esse, atqui Arithmeticam, Geometriam, aliasque ejusmodi<sup>10</sup>, quae non nisi de simplicissimis et maxime generalibus rebus tractant, atque utrum eae sint in rerum natura nec ne, parum curant, aliquid certi atque indubitati continere: nam sive vigilem, sive dormiam, duo et tria simul juncta sunt quinque, quadratumque non plura habet latera quam quatuor; nec fieri posse videtur ut tam perspicuae veritates in suspicionem falsitatis incurvant.

Verumtamen infixa quaedam est meae menti vetus opinio, Deum esse qui potest omnia, et a quo talis, qualis existo, sum creatus: unde autem scio illum non fecisse ut nulla plane sit terra, nullum caelum, nulla res extensa, nulla figura, nulla magnitudo, nullus locus, et tamen haec omnia non aliter quam nunc mihi videantur existere? Imo etiam quemadmodum judico interdum alios errare circa ea, quae se perfectissime scire arbitrantur, ita ego ut fallar quoties duo et tria simul addo, vel numero quadrati

---

<sup>10</sup> Das lat. »aliasque ejusmodi« wird in der 1. französ. Übersetzung wiedergegeben durch: »et les autres sciences de cette nature«. Diese Wendung dürfte D. selbst bei der Durchsicht in den Text gesetzt haben.

latera, vel si quid aliud facilius fingi potest? At forte noluit Deus ita me decipi, dicitur enim summe bonus; sed si hoc ejus bonitati repugnaret, talem me creasse, ut semper fallar, ab eadem etiam videretur esse alienum permittere ut interdum fallar; quod ultimum tamen non potest dici.

Essent vero fortasse nonnulli qui tam potentem aliquem Deum malling negare, quam res alias omnes credere esse incertas, sed iis non repugnemus, totumque hoc de Deo demus esse fictitium, at seu fato, seu casu, seu continuata rerum serie, seu quovis alio modo me ad id, quod sum, pervenisse supponant; quoniam falli et errare imperfectio quaedam esse videtur, quo minus potentem originis meae authorem assignabunt, eo probabilius erit me tam imperfectum esse ut semper fallar: quibus sane argumentis non habeo quod I respondeam, sed tandem cogor fateri nihil esse ex iis quae olim vera putabam, de quo non liceat dubitare, idque non per inconsiderantiam vel levitatem, sed propter validas et meditatas rationes, ideoque etiam ab iisdem, non minus quam ab aperte falsis accurate deinceps assensionem esse cohibendam, si quid certi velim invenire.

Sed nondum sufficit haec advertisse, curandum est ut recorder, assidue enim recurrent consuetae opiniones, occupantque credulitatem meam tanquam longo usu et familiaritatis jure sibi devinctam, fere etiam me invito, nec unquam iis assentiri, et confidere desuescam, quamdiu tales esse supponam, quales sunt revera, nempe aliquo quidem modo dubias, ut jam jam ostensum est, sed nihilominus valde

probabiles, et quas multo magis rationi consentaneum sit credere quam negare. Quapropter, ut opinor, non male agam, si voluntate plane in contrarium versa me ipsum fallam, illasque aliquamdiu omnino falsas imaginariasque esse fingam, donec tandem vel aequatis utrimque praejudiciorum ponderibus nulla amplius I prava consuetudo judicium meum a recta rerum perceptione detorqueat. Etenim scio nihil inde periculi, vel erroris interim sequuturum, et me plus aequo diffidentiae indulgere non posse, quandoquidem nunc non rebus agendis, sed cognoscendis tantum incumbo.

Supponam igitur non optimum Deum, fontem veritatis, sed genium aliquem malignum eundemque summe potentem et callidum omnem suam industriam in eo posuisse, ut me falleret: putabo caelum, aërem, terram, colores, figuras, sonos, cunctaque externa nihil aliud esse quam ludificationes somniorum, quibus insidias credulitati meae tetendit: considerabo me ipsum tanquam manus non habentem, non oculos, non carnem, non sanguinem, non aliquem sensum, sed haec omnia me habere falso opinantem: manebo obstinate in hac meditatione defixus, atque ita siquidem non in potestate mea sit aliquid veri cognoscere, at certe hoc quod in me est ne falsis assentiar, nec mihi quidquam iste deceptor, quantumvis potens, quantumvis callidus possit imponere, obfirmata mente cavebo. Sed laboriosum est hoc institutum, et desidia quaedam ad consuetudinem vitae me reducit. Nec aliter quam captivus, qui forte imaginaria libertate fruebatur in somnis, quum postea suspicari incipit se dormire,

timet excitari, blandisque illusionibus lente connivet: sic<sup>11</sup> sponte  
relabor in veteres opiniones, vereorque expergisci, ne placidae  
quieti laboriosa vigilia succedens non in aliqua luce, sed inter  
inextricabiles jam motarum difficultatum tenebras in posterum  
sit degenda.

---

<sup>11</sup> 1. Aufl.: hic.

# **Meditatio II.**

## **De natura mentis humanae.**

### **Quod ipsa sit notior quam corpus**

In tantas dubitationes hesterna meditatione conjectus sum, ut nequeam amplius earum oblivisci, nec videam tamen qua ratione solvendae sint, sed tanquam in profundum gurgitem ex improviso delapsus ita turbatus sum, ut nec possim in imo pedem figere, nec enatare l ad summum. Enitar tamen et tentabo rursus eandem viam quam heri fueram ingressus, removendo scilicet illud omne quod vel minimum dubitationis admittit, nihilo secius quam si omnino falsum esse comperissem; pergamque porro donec aliquid certi vel si nihil aliud, saltem hoc ipsum, pro certo, nihil esse certi, cognoscam. Nihil nisi punctum petebat Archimedes, quod esset firmum et immobile, ut integrum terram loco dimoveret; magna quoque speranda sunt, si vel minimum quid invenero quod certum sit et inconcussum.

# **Конец ознакомительного фрагмента.**

Текст предоставлен ООО «ЛитРес».

Прочтите эту книгу целиком, [купив полную легальную версию](#) на ЛитРес.

Безопасно оплатить книгу можно банковской картой Visa, MasterCard, Maestro, со счета мобильного телефона, с платежного терминала, в салоне МТС или Связной, через PayPal, WebMoney, Яндекс.Деньги, QIWI Кошелек, бонусными картами или другим удобным Вам способом.